

# Theology on the Web.org.uk

*Making Biblical Scholarship Accessible*

This document was supplied for free educational purposes. Unless it is in the public domain, it may not be sold for profit or hosted on a webserver without the permission of the copyright holder.

If you find it of help to you and would like to support the ministry of Theology on the Web, please consider using the links below:



<https://www.buymeacoffee.com/theology>



<https://patreon.com/theologyontheweb>

**PayPal**

<https://paypal.me/robbradshaw>

---

A table of contents for the *Journal of Theological Studies* (old series) can be found here:

[https://biblicalstudies.org.uk/articles\\_jts-os\\_01.php](https://biblicalstudies.org.uk/articles_jts-os_01.php)

pdfs are named: [Volume]\_[1<sup>st</sup> page of article]

# The Journal of Theological Studies

JANUARY, 1915

DOCUMENTS

## AN ANCIENT HOMILIARY: I.

(Sermons for Christmas, Epiphany, Easter, Ascension Day, Whitsunday, Innocents' Day, St John Baptist, St Stephen, SS. Peter and Paul, St Cyprian, All Martyrs: the Introduction will follow the completed text)

FROM COD. VERON. LI foll. 1 a b, 40 a-77 b: saec. vi

### I. SERMON FOR CHRISTMAS DAY

(The beginning of the Christmas sermon is lost)

[fol. 1 a] Genuit Christum illa in senectute aetatis, ista in senectute temporis: Isaac personam portabat Domini Christi; Isaac interpretatur 'gaudium', et Dominus noster Christus gaudium magnum adnuntiatus est, sic enim DICEBAT ANGELUS ADNUNTIO VOBIS GAUDIUM MAGNUM QUOD ERIT OMNI PLEBI, QUIA NATUS EST VOBIS HODIE SALVATOR SAECULI, 5 QUI EST CHRISTUS DOMINUS. ergo hodie Dominus nascitur in Bethlem Iudaeae, sicut dictum fuerat a propheta ET TU BETHLEM NON ES MINIMA IN MILIBUS IUDAEAE, EX TE ENIM EXIET REX QUI REGAT POPULUM MEUM ISRAHEL. Bethlem interpretatur 'civitas panis', quia ibi DESCENDIT PANIS caelestis qui DAT SAECULO VITAM. 10

ET VERBUM CARO FACTUM EST ET HABITAVIT IN NOBIS. Deus homo factus EMMANUEL, QUOD INTERPRETATUR NOBISCUM DEUS. o res mirabilis! pro nobis Dominus omnium castae virginis ubera suxit et de sancto matris pectore lactei fontis dulcia fluentia potavit, ut nos pietatis suae fontibus et caelestis doctrinae fluminibus inrigaret. pascitur ab ancilla 15 sua, [fol. 1 b] cuius ipsa beneficio pascebatur. IN PRESEPIO PONITUR, PANNIS INVOLVITUR; sed illud presepium sepulturae eius imaginem designabat, panni autem nostra erant peccata, PRO NOBIS ENIM PAUPER FACTUS EST, UT ILLIUS INOPIA NOS DITAREMUR. nascitur ergo Dominus,

13. caste cod      17. involbitur cod

4. Lk. ii 10      7. Mt. ii 6      9. Jn. vi 33      11. Jn. i 14      12. Mt. i 23  
16. Lk. ii 12      18. 2 Cor. viii 9

VOL. XVI.

M

20 et parvulus adque humilis ingreditur mundum, ut iacenti populo medicinam et captivato homini quam pridem perdidit in melius restitueret libertatem. MYSTERIUM MAGNUM QUOD FUIT OCCULTUM A SAECULIS ET A GENERATIONIBUS, NUNC MANIFESTUM EST IN CARNE, ut vere PER quem FACTA SUNT OMNIA ipse redimeret universa.

25 Ergo nascitur de virgine homo propter hominem, et filius Dei efficitur filius hominis ut filios hominum faceret filios Dei. portat virgo mater parvulum in manibus, cuius omnis mundus virtute sustinebatur; et quae non noverat nuptias nec coniunctionem viri didicerat, didicit generare, amplectitur, osculatur, adorat potentem Dominum. [*fol. 40 a*]  
30 ab angelo audierat et ex ipso partu didicerat quia talem sibi, ut diximus, partum non nisi solus efficeret unigenitus in caelis unigenitus in terris, Deus ex Deo partus ex virgine, Deus sine matre homo sine patre, quia Deum habet patrem, virginem matrem, ex patre ante saecula ex matre in saeculo.

35 Veniunt magi, qui gentium diversarum similitudinem designabant, OFFERUNT MUNERA AURUM TUS ET MIRRAM. quidam de hoc exposuerunt dicentes 'aurum ut regi, tus ut Deo, murrā ad sepulturam'. isti ergo magi, ut diximus, gentium IMAGINEM PORTANT: offerunt aurum, id est fidem PRETIOSAM SPLENDIDAM ET ELECTAM; tus, incensum orationum BONAE SUAVITATIS ACCEPTISSIMUM DOMINO; murrā, futurae Domini sepulturae signum, quod et seipsos prae amore eius Domini usque ad mortem perventuros ostendant.

Ergo omnia in misterio gerebantur, quia et ipsum Verbum Dei MYSTERIUM fuit ABSCONSUM A SAECULIS quod venit in carnem. [*fol. 40 b*]  
45 ET VERBUM CARO FACTUM EST ET HABITAVIT IN NOBIS EMMANUEL, ut dictum est, QUOD EST INTERPRETATUM NOBISCUM DEUS. ergo Verbum Dei venit in carne; quid ergo tibi dicit Christus, o aeclesia? quid? noli me SECUNDUM CARNEM sapere tantum: 'quia enim FORMAM SERVI ACCEPI propter te, intellege quia Dominus sum angelorum'; 'natus sum de Maria' dicit tibi 'sed Mariam matrem meam ego ipse formavi';  
50 'si enim PER me FACTA SUNT OMNIA' dicit tibi 'et mater mea per me facta est', mater est enim carnis, sed opus divinitatis.

Audite, fratres; qui fecit angelos, ipse fecit et homines: qui fecit caelum, ipse fecit et terram: qui fecit solem et lunam et stellas, ipse  
55 fecit omnia animalia et OMNEM CARNEM SUPER TERRAM, magna et minora, superiora et inferiora. ipse est qui INCLINAVIT CAELOS ET

27. parvulum *cod* virtute sustinebatur *scripsi*, cum *cod*\* ut *conicio*: virtutis sue regebatur *cod*<sup>2</sup> 28. *dedicit cod* 36. quidam... sepulturam: *comma hoc pro glossemate ut videtur habendum est* 40. bone suavitatis *cod* 41. quod... ostendant: *fortasse legendum vel* quo... ostendant *vel* quod... ostendat *pre cod* eius *cod*: *fortasse legendum* eiusdem

22. Col. i 26; 1 Tim. iii 16 23. Jn. i 3 27. Heb. i 3? 36. Mt. ii 11  
38. Cf. 1 Cor. xv 49 39. Is. xxviii 16 40. Apoc. v 8?; Phil. iv 18 44. Col. i 26  
45. Jn. i 14 46. Mt. i 23 48. 2 Cor. v 17; Phil. ii 7 51. Jn. i 3 55. Cf.  
Gen. vi 12 56. Ps. xviii (xviii) 10

DESCENDIT, ut eius descensus nobis fieret ascensus. DESCENDIT, secundum propheticum dictum, QUEMADMODUM PLUVIA IN VELLUS. [fol. 41 a] vide mysterium: 'ut pluvia' dicitur 'in vellus', sic Dominus descensus in carne. pluvia veniens in vellus tacite venit, non vis eius resonat virtutibus; ita Dominus veniens in corpore sub silentio humilitatis ex sancta virgine carnem sibi adsumit humanam, et velut sponsus procedit de thalamo suo, sic enim scribitur est SICUT SPONSUS PRO- CEDENS DE THALAMO SUO. de quo putamus thalamo? de utero scilicet virginali. uterus virginis thalamus Christi: ibi iungitur sponsus et 65 sponsa, ibi iungitur verbum et caro, verbum sponsus, caro sponsa. PROCEEDIT DE THALAMO SUO, ut cetera membra sponsae colligat et in una gaudeat aeclesia.

Quid ergo, fratres mei? antequam Dominus Iesus in thalamo, id est in utero virginali, iungeretur sponsae, nonne VERBUM ERAT APUD DEUM 70 ET DEUS ERAT VERBUM? ergo quando coepit esse in utero virginis, non erat apud Deum? unde ergo gaudebant angeli, unde caeli regerantur? ergo quando in utero [fol. 41 b] virginali erat, verbum non fuit apud patrem? immo apud patrem et in utero virginis, immo totus apud patrem et totus in utero virginis; quia Dominus noster verbum 75 Deus totus est apud patrem, totus in caelis, totus in angelis, totus in utero, totus in aeclesia, totus in carne. de ipso quodam in loco scriptura dicebat FRATERNUS MEUS CANDIDUS ET RUBEUS, CANDIDUS quia Verbum est Dei, RUBEUS quia partus est virginis.

Ergo hodie parvulus et humilis ingressus est mundum, et hodie 80 quidem secundum hominem homo natus est ex virgine, sed 'ante omnia saecula genitus ex patre', qui matrem corpore, virtute referat patrem, unigenitus in terra unigenitus in caelo, Deus ex Deo, partus ex virgine. ergo huic Domino et redemptori nostro Christo, qui carnem pro nobis ex Adae origine venientem suscepit ut DE PECCATO DAMNARET PECCATUM 85 IN CARNE et cunctis purificationis et sanctificationis suae munera [fol. 42 a] contulisset, ipsi gratias referamus et per ipsum Deo patri laudes dicamus, CUI EST GLORIA IN SAECULA. AMEN.

## II. SERMON FOR THE EPIPHANY

### In sancta epiphania

Desideratus votis omnium christianorum felicissimus dies advenit: Dominus noster Iesus Christus, pro nobis natus, pro nobis hodie bapti-

57. descendit 2°: *fortasse legendum* descendet *cum Psalm. et descensus l. 59*  
 60. pluvia *cod\** 67, 70. sponse *cod* 74. immo totus: immotus *primis curis cod\**  
 75. noster: nō (*ad finem lineae*) *cod* 76. dñs, *scilicet* deus, *cod*: *fortasse legendum*  
 dñ *scilicet* dei, *cf. l. 79* 78. robeus . . . robeus *cod* 82. quimmatrem *cod*

57. Ps. lxxi (lxxii) 6 60. Cf. Wisd. xviii 14 sq. 63. Ps. xviii (xix) 6  
 70. Jn. i 1 78. Cant. v 10 85. Rom. viii 3 88. Rom. xi 36; Gal. i 5 &c.

zatus est. ecce iam secunda eius pietate salvamur. pro nobis dudum descendit ad terram, ut captivitatis nostrae vincla disrumperet et peccatorum nostrorum *nodos* propria virtute confrangeret cunctorumque periculis clementissimus subveniret: non dedignatur adhuc suae bonitatis et liberationis sacramenta demonstrans *LABACRO REGENERATIONIS* corpus abluere omnis Dominus creaturae. per semet ipsum sanctificat aquas, qui et eas initio suae maiestatis Spiritu gubernabat. videns ergo sanctissimus Iohannes venientem istum Dominum et salvatorem nostrum Iesum Christum ad baptismum suum suplex adorat et dicit, sicut eius verba [*fol. 42 b*] declarant, TU INQUID VENIS AD ME CUM A TE EGO DEBEAM BAPTIDIARI? consideremus, fratres, verba huius Baptistae venerabilis et vide ordinem rerum.

15 Venit prior sancta Maria ad Helisabeth, et nunc Dominus venit ad sanctum Iohannem. TU INQUID VENIS AD ME. 'tu' inquit 'venis ad me', prout dicat 'tu Dominus caeli et terrae, UNIGENITUS DEUS PER QUEM FACTA SUNT OMNIA ET SINE QUO FACTUM EST NIHIL, verbum patris, LUMEN VERUM, ad me venis, ad me, CUIUS NON SUM DIGNUS  
20 CALCIAMENTA PORTARE, qui votis et praecibus parentum meorum clementissimus adnuisti ut me sterilis mater conciperet et Zaccarias pater meus in tuo nomine laetaretur, quando in mea nativitate dicebat ET TU, PUER, PROPHETA ALTISSIMI VOCABERIS, PRAEIBIS ENIM ANTE FACIEM EIUS AD DANDAM SCIENTIAM SALUTIS PLEBI EIUS: tu ergo venis  
25 ad me, qui me formasti in utero, qui me nasci voluisti et mihi incrementa aetatis donasti, qui me honorasti, TU VENIS AD ME, CUM A TE [*fol. 43 a*] EGO DEBEAM BAPTIDIARI, quia ego magis beneficiorum tuorum ope indigeo?'

Cui Dominus ait SINE MODO, SIC ENIM OPORTET NOS IMPLERE OMNEM  
30 IUSTITIAM. SINE MODO, desine, adquiesce, permittite, noli timere. sed ratione cuncta geruntur: Adam enim antiquum inter aquas in paradisso peccantem, nunc per aquas eundem cupio reparare, SIC ENIM OPORTET NOS IMPLERE OMNEM IUSTITIAM. sed dicis 'Quod habes peccatum, ut ad baptismum venias?' et ego dico tibi 'Non habeo peccatum ullum,  
35 sed MULTORUM PORTO PECCATA. oportet nos implere omnem IUSTITIAM; quia iustum est ut et ego veniam ad te ut tibi sacri baptismatis testimonium perhibeam et gratiam quam indulsi omnibus manifestem, et quia humilitatem magis diligo quam superbiam amo. SIC ENIM OPORTET

II. 5. *nodos scripsi cum cod\* ut conicio, cf. serm. III. l. 56 'catenarum nodos propria virtute confringeret': nobis cod<sup>2</sup> 7. labacro cod 8. omnis (sc. creaturae) cod\*: omnium cod<sup>2</sup> 11. supplex cod<sup>2</sup>, sed cf. l. 44 13. deveam cod baptiste cod 22. letaretur cod 23. uocaueris cod preibis cod 24. pleui cod 27. baptidari cod 30. temere cod\* 31. anticum cod 38. superuiam cod*

II. 7. Tit. iii 5 9. Gen. i 3 12. Mt. iii 14 17. Jn. i 18, i 3, i 10 19. Mt. iii 11 23. Lk. i 76 29. Mt. iii 15 35. Is. liii 12

NOS IMPLERE OMNEM IUSTITIAM. accedit quia tu maior natu es et me oportet venire ad te, nam et mater mea ad tuam venerat matrem. 40 volo adhuc per me et cunctis principibus demonstrare [fol. 43 b] ut ad baptidiantium manus cuncti capita sua inclinare non differant et ad caeleste donum sine mora percurrant?. quod audiens beatus Iohannes suplex suscipit Dominum.

Veniente igitur ad se ipsum Domino salvatore gaudebat et ipse 45 fluminis alveus, obsequentibus undis circa vestigia Domini, Iordannesque sese cum suis fluctibus humiliabat. ibant aquae leni meatu currentes et dulce quiddam suis vocibus resonantes. aderat sine dubio angelorum baptidiatur itaque Dominus noster et mergitur in aquis ut nos levaret in 50 caelis: AGNUS INMACULATUS, AGNUS DEI QUI TOLLIT PECCATA MUNDI, purissimi fontis liquoribus lavabatur ut nos a peccatis ablueret et regnis caelestibus sociaret, sicut ipse postea in sancto aevangelio tradidit dicens NISI QUIS RENATUS FUERIT EX AQUA ET SPIRITU SANCTO NON 55 POTERIT INTROIRE IN REGNUM DEI.

Adhuc audi mysterium. Moyses [fol. 44 a] mare ingressus Faraonem cum suo mersit exercitu; et Christus baptidiatus et per aquas digrediens diabolum cum sua caterva damnavit. Iesus quoque filius Nave ad debellandam Hiericho civitatem profectus, in qua hostilis habebatur exercitus, per Iordannis fluenta transgreditur; et Christus Dominus et 60 salvator noster ad expugnandas mundi huius insidias adque ad SPIRITALES NEQUITIAS destruendas ad Iordannis fontem accedit. audi adhuc. ter decies annorum circulis constitutis ad baptismum Dominus venit, ut per trium decadarum mysterium et nobis preterita peccata donaret, et presentia beneficia conferret, et de futuris bonis securiores efficeret. 65 hic est Dominus Deus noster, cuius hodie sacri baptismatis, ut dixi, sollemnia celebramus.

De quo refert sanctum aevangelium, ut ipsius lectionis ordinem prosequamur, CUM BAPTIDIATUS ESSET inquit OMNIS POPULUS ET IESU BAPTIDIATO ET ORANTE APERTUM EST CAELUM, ET ECCE SPIRITUS SANCTUS 70 CORPORALI SPECIE [fol. 44 b] SICUT COLUMBA VENIT SUPER EUM ET VOX DE CAELO FACTA EST HIC EST FILIUS MEUS DILECTISSIMUS IN QUO BENE CONPLACUI, IPSUM AUDITE. IESU inquit BAPTIDIATO ET ORANTE. orabat non pro se (quid enim pro se innocens precaretur?), sed pro

45. venientem... dñm salvatorem *cod* 46. alveus *cod* 50. lebare *cod* 52. lababatur *cod*\* 63. circulis constitutis *cod*<sup>2</sup>: circulus constitutus *cod*\*; fortasse legendum circiter constitutus

43. Mt. iii 15 b 51. 1 Pet. i 19; Jn. i 29 54. Jn. iii 5 56. Exod. xiv 27, 28 59. Ios. iii 15, 16 61. Eph. vi 12 63. Cf. Lk. iii 23 69. Lk. iii 21, 22 73. (Mt. xvii 5 &c.)

75 nobis orabat quos suae pietatis remedio a patre gubernandos acceperat, orabat patrem: quid putamus orabat Dominus patrem, nisi *ut* illud propter quod venerat disceremus, ut nobis pater manifestaret ipsum esse filium suum dilectissimum. unde statim ORANTE IPSO VOX DE CAELO FACTA EST HIC EST FILIUS MEUS DILECTISSIMUS IN QUO BENE  
80 COMPLACUI, IPSUM AUDITE. pater, qui nunc dicit IPSUM AUDITE, ipse etiam ante plurimas generationes ad Moysen locutus est dicens PROPHETAM SUSCITABO ILLIS DE FRATRIBUS EORUM SICUT TE, ET DABO VERBUM MEUM IN OS EIUS ET LOQUETUR AD EOS OMNIA QUaecumque DIXERO EI, ET QUI NON AUDIERIT PROPHETAM ILLUM [*fol.* 45 *a*] INTERIET  
85 DE POPULO SUO. ergo ipse et nunc ait IPSUM AUDITE.

Venit et Spiritus sanctus CORPORALI SPECIE SICUT COLUMBA ut Christum ostenderet. hoc est quod Dominus per prophetam antea dixerat SPIRITUS DOMINI SUPER ME. sed ne dicat aliquis quia qui SUPER ipsum venit superior est illo. non est superior a Christo Spiritus  
90 sanctus, qui a Christo ACCIPIIT quod ANNUNTIET, et post Christum nominatur, et a Christo missus probatur: sicut filius a patre mittitur, ita et Spiritus sanctus a filio. non ergo, quod SUPER ipsum videbatur, superior est ipso. nam et STELLA SUPER Dominum venit, et caelum super Dominum fuit, et tectum domus super Dominum habebatur, et  
95 aquae in baptismo super Dominum fluebant; et omnium Christus est Dominus, quia, ut fidelis testatur scribtura, OMNIA PER Christum FACTA SUNT ET SINE ILLO FACTUM EST NIHIL. sed forte adhuc requirit aliquis ubi remanserit vel ubi abierit illud corpus columbae quod adsumpserat Spiritus sanctus. eadem ratione interceptum est qua et editum  
100 fuerat: si vidisses [*fol.* 45 *b*] cum de nihilo proferebatur, scisses et cum in nihilum subducebatur: si non fuit initium visibile, nec finis, tamen corporis soliditas erat quo momento corpus videbatur.

Est ergo unus unigenitus aput ingenitum patrem, quem ipse Spiritus sanctus veneratur, quem omnis adorat creatura, CUI EST GLORIA ET  
105 imperium IN SAECULA. AMEN.

### III. SERMON FOR EASTER

#### In sancto pascha

Desideratae solemnitatis gaudia celebrantes, fratres dilectissimi, in triumphis Domini nostri Iesu Christi tota mentis alacritate laetemur, sicuti hodie cantavimus dicentes ISTE DIES QUEM FECIT DOMINUS,

75. gubernandos *cod* 76. ut *supplevi*: *om. cod* 81. propheta *primis curis cod*  
89. superor *primis curis cod* 98. columbe *cod*

III. 1. desiderate *cod*

81. Deut. xviii 18, 19 (Act. iii 22, 23) 88. Is. lxi 1 90. Jn. xvi 15 93. Mt.  
ii 9 95. Cf. Act. x 36 96. Jn. i 3

III. 3. Ps. cxvii (cxviii) 24

EXULTEMUS ET LAETEMUR IN EO ; quia in 'isto die' et istos dies fecit Dominus. quid est quod diximus 'In isto die et istos dies fecit 5 Dominus?' et non solum istos dies, sed et IN CHRISTO CREATA SUNT OMNIA QUAE SUNT IN CAELIS ET QUAE SUNT IN TERRA, VISIBILIA ET INVISIBILIA. ipse est dies aeternus, dies cui numquam nox succedit. iste dies [*fol. 46 a*] sibi duodecim horas constituit, id est duodecim discipulos, quorum unus infelix Iuda Scariotes novissimus velut duo- 10 decima hora diem nocti tradidit, id est Christum tenebrosis Iudaeis.

Dominus tamen, etsi morti traditus est, dirupit tamen vincula mortis. AD VESPERUM QUIDEM DEMORATUS EST FLETUS ET IN MATUTINUM NOBIS OBORTA EST LAETITIA. tergeamus lacrimas nostras, quamvis eas iam deterserit Christus, et plaudentes manibus nostris, id est bonis operibus 15 exultantes, dicamus clara voce cum beato apostolo PAULO UBI EST, MORS, ACULEUS TUUS? UBI EST, INFERI, VICTORIA TUA? ACULEUS QUIDEM MORTIS PECCATUM, VIRTUS AUTEM PECCATI LEX : DEO AUTEM GRATIAS QUI DEDIT NOBIS VICTORIAM PER DOMINUM NOSTRUM IESUM CHRISTUM. merito ergo trihumpali gaudio gloriamur, qui peccatorum nostrorum 20 nexibus resoluti in libertate vitae perpetuae donata indulgentia respiramus.

Natalis nunc, fratres, geritur totius mundi, annua orbis [*fol. 46 b*] est consecrata solemnitas. vicit omnibus Deus, qui causas omnium in semet ipso susceperat et suae virtutis auxilio lugubres aliquando vultus 25 et diuturno maerore contractos inae narrabili letitiae suae splendore perfudit. ergo, sicut scriptum est, HIEMS TRANSIIT, ABIIT SIBI ; FLORES APPARUERUNT IN TERRAM NOSTRAM, hoc est in terra animae nostrae vel corporis nostri, quia reffloruit COR NOSTRUM ET CARO NOSTRA IN Dominum DEUM nostrum. 30

Mortuus est et resurrexit Christus pro nobis, ut nos et mori et resurgere in semet ipso monstraret, quia PER HOMINEM MORS ET PER HOMINEM RESURRECTIO MORTUORUM ; SICUT IN ADAM OMNES MORIUNTUR, ITA IN CHRISTO OMNES VIVIFICANTUR. unde Dominus in sua passione et resurrectione dicebat NISI GRANUM TRITICI CECIDERIT 35 PRIMUM IN TERRA, NON ADFERT COPIOSIOREM FRUCTUM ; quia utique in sua resurrectione nostrae restorationis [*fol. 47 a*] gloriam designabat. cecidit illud tritici granum in terram, et toto orbe surrexit fidelium seges.

Nam ut per ordinem preterita omnia consideremus et in hac 40

12. dirupit *cf. II. 4 supra* : dirrupit *ut vid cod* 16. exultates *primis curis cod* 17. clare voce *cod* 23. est consecrata *scripsi* : et consecrata *cod* 26. merore *cod* 35. resurrectione *primis curis cod* 36. cupiosiore *cod*

6. Col. i 16 9. Cf. Jn. xi 9 13. Ps. xxix 6 (xxx 5) 16. 1 Cor. xv 55-57 27. Cant. ii 11 29. Cf. Ps. lxxxiii 3 (lxxxiv 2) 32. 1 Cor. xv 21, 22 35. Jn. xii 24



gratulatione positi antiquas non sileamus angustias (quia scribitum est IN DIE BONORUM NE INMEMOR SIS MALORUM), audite, fratres, causas antiquas omnium nostrum. tenebatur antea humani generis captivitas peccato tamquam bello superata : in praeda ducti fuerant omnes quos  
 45 aut vitia saeculi aut ignorantiae culpa aut varius diversarum rerum et criminum error involverat : iacebant singuli, peccatorum iaculis fixi et male datis vulneribus sauciati : praedonis superbi, id est diaboli, inmania vincula sustinebant. depravata fuerat humani generis forma delictorum foeditatibus inquinata : lugebat casus nostros et ipsa natura.  
 50 PATIENTIA vero DEI omnipotentis haec diutius tacite SUSTINEBAT, quia causas mortis [fol. 47 b] ipse sibi homo effecerat, qui libero arbitrio factus et in deliciarum paradisso constitutus maluit diabolo magis oboedire quam Deo. sed clementissimus Dominus miserationes suas diutius differre non passus est : misit itaque salvatorem omnium  
 55 Christum qui suo adventu suaque passione et resurrectione vincula durae servitutis abrumperet et catenarum nodos propria virtute confringeret, tantorumque vulneribus potentis medicinae suae auxilio subveniret.

Adveniens itaque idem Dominus et 'de illa sublimitate caelesti' ut ait sanctus Cyprianus 'ad terrena descendens non est dedignatus filius  
 60 Dei carnem hominis induere, et cum peccator ipse non esset aliena peccata portare' : multis mirabilibus gestis a superbo et ingrato populo contumeliis adficitur, conspuitur, flagellatur, adhuc etiam cruci adfigitur. pendens itaque in crucem orabat patrem pro interfectoribus [fol. 48 a] suis dicens PATER DIMITTE ILLIS, NESCIUNT ENIM QUOD FACIUNT. non  
 65 irascitur, non commovetur ; ibi enim ira locum omnino habere non poterat, ubi pietas omnia patientissime tolerabat. deinde commendat suum spiritum patri, ut se ostenderet patri semper esse subiectum, ut bonum a bono genitum, pium a pio, benignum a benigno. sepellitur corpus eius ; et ponitur in monumento, in modica petra, in angusto  
 70 foramine, cuius potentia et visibilia et invisibilia continet universa.

It deinde et per infernas sedes et usque ad ipsius Erebi profunda pertendit. terribili visu et aspectu Domini conruerunt contrariae potestates et tenebrosi illi inferni ianitores intra sua viscera timuerunt. aeternae lucis fulgore percussa dira facies mortis expavit et duplicato in  
 75 sese pallore contremuit. Dominus vero propositum suae maiestatis opus perficiens praedam de infernis sedibus rapuit, Adam quoque illum nimio iam et antiquo labore sordentem et usquequaque deformem

47. supervi *cod* 52. paradisso *cod*, ut *supra* II. 31 55. suaque *cod*<sup>2</sup>: sua  
*cod*\* 61. supervo *cod* 68. benignum : benignus *cod* 71. herebi *cod* 73.  
 ianitores : *om. cod*\* 75. sse *primis curis cod* 76. predam *cod* .

42. *Ecclus. xi 25* 50. *1 Pet. iii 20* 58. *Cypr. de bon. pat. 6* 61. *Cf. Lk.*  
*xviii 33, Mt. xx 19* 64. *Lk. xxiii 34* 67. *Lk. xxiii 46*

[*fol. 48 b*] in novo gloriae suae splendore restituit, omnibusque credentibus plenissimam gratiam propriae maiestatis indulsit.

Ergo exultemus, carissimi, et gloriemur in Domino nostro Iesu 80 Christo et istum diem laeti ducentes et per ipsum Deo patri semper gratias agamus, CUI EST GLORIA IN SAECULA. AMEN.

#### IV. SERMON FOR ASCENSION DAY

##### De ascensione Domini in quadragesima

Exoptatus votis omnium Christianorum dies advenit: salvator saeculi Christus filius Dei, qui altus humilis factus est pro nobis et de caelestibus regnis ad terrenas habitationes advenit, passusque insidias perfidorum et cruci fixus mortis vincla dissolvit et die tertia resurgens a mortuis quadraginta diebus cum discipulis conmoratus est, hodie in 5 isto quadragesimo die ascendit in caelis. noluit Dominus statim post resurrectionem suam in caelis ascendere, ne non in veritate resurrexisse sed fantasma fuisse potius putaretur; [*fol. 49 a*] ideo quadraginta diebus, ut dictum est, cum discipulis conmoratus est, frequenter apparens eis ut eos ad vitalia precepta instrueret et discerent quae docerent. 10

Ascendit hodie in caelis ut etiam aeternas illas sedes in suo resuscitato ac vivificato corpore visitaret, unde in introitu eius et in habitu corporis veniente caelestes virtutes adtonitae interrogant alias potestates dicentes QUI EST ISTE REX GLORIAE? et dicitur eis DOMINUS FORTIS ET POTENS, DOMINUS POTENS IN PROELIO, qui fortissimum tyrannum diabolum qui 15 dictus est FORTIS ARMATUS captivum tenuit et VASA EIUS quae possidebat DIRIPUIT, ipsumque devinctum cruci suae adfixit, cunctosque credentes salutaribus titulis in fronte signavit, ut ille adversarius videns signum fortis semper timeat et pavescat.

Audivimus namque hodie angelos exclamantes ad populum et dicentes 20 VIRI GALILEI, QUID STATIS ASPICIENTES IN CAELUM? HIC IESUS, QUI RECEPTUS EST [*fol. 49 b*] HODIE A VOBIS IN CAELUM, SIC VENIET ITERUM QUEMADMODUM VIDISTIS EUM EUNTEM IN CAELUM. gaudeat ergo aeclesia Christi: Dominus noster caput nostrum iam nos precessit in caelum, secuturis membris viam ad sedes caelestes ostendens. ubi est 25 caput, ibi erunt et membra, si tamen ab omni se faece terrena cupiditatis aliena servaverint.

ASCENDIT Dominus ergo IN ALTUM, CAPTIVAM DUXIT CAPTIVITATEM,

So, 81. et . . . et: *fortasse omittendum et vel unum vel alterum*

IV. 1. xp̄inorum *cod* 13. venientem *cod* adtonite *cod*, *sed cf. V. 33 infra*  
26. fece *cod*

IV. 14. Ps. xxiii (xxiv) 8 16. Lk. xi 21, 22 17. Cf. Col. ii 14 18. Cf. Apoc. vii 3 21. Act. i 11 25. Cf. Jn. xiv 3, xvii 24 26. Eph. v 23, 30 28. Eph. iv 8, 10 (Ps. lxxvii [lxxviii] 18)

quia QUI DESCENDIT IPSE EST QUI ASCENDIT sicut dicit apostolus SUPER  
 30 OMNES CAELOS UT ADINPLERET OMNIA. ASCENDIT, bene dictum est, IN  
 ALTUM ; quia antea ad humilia altus descenderat, nunc de humilibus  
 altus ad alta conscendit, Spiritus sancti DONUM suis supplicibus redditurus.  
 sic enim dixerat discipulis suis in sancto aevangelio EXPEDIT VOBIS UT  
 EGO EAM : SI EGO NON ABIERO, ADVOCATUS NON VENIET AD VOS ; SI  
 35 AUTEM ABIERO, MITTAM ILLUM AD VOS. rogemus ipsum Dominum  
 nostrum [*fol. 50 a*] Iesum Christum, ut nobis omnibus donum Spiritus  
 sancti dare dignetur, ipsoque Spiritu sancto inluminemur, ab ipso  
 instruamur et doceamur ut Christi precepta servemus, ipsique ut  
 PALMITES VITI inhaereamus, IUGUM eius SUPER NOS semper GESTANTES.  
 40 ergo ASCENDIT IN ALTUM, CAPTIVAM DUXIT CAPTIVITATEM ; etiam,  
 Dominus noster ASCENDIT IN ALTUM.

De huius descensu et ascensu audite, fratres. iam hoc per mysterium  
 et in scala illa figurabatur quam vidit Iacob per somnium, ut scribura  
 dicit, DE TERRA AD CAELUM PERTINGENTEM. illa ergo scala quam vidit  
 45 Iacob DE TERRA ut dictum est PERTINGENTEM AD CAELUM descensum  
 et ascensum Domini significabat, quia scala et descensum et ascensum  
 habet ; et lapis ad caput Iacob fuit, hoc est ipse Christus qui LAPIS  
 dictus est, quem etiam unxit Iacob, quia ipse est unctus Dei ; duo  
 trabes scalae duo sunt testamenta, gradus praecepta divina ; quia † ipsa  
 50 duo testamenta et quia sancta †, Christi descensus et ascensus [*fol. 50 b*]  
 significatus est.

Ergo istius sancti diei solemnia celebrantes, semper Deo patri per  
 Christum eius gratias referamus, CUI EST GLORIA IN SAECULA. AMEN.

## V. ANOTHER SERMON FOR ASCENSION DAY

### In gloria Domini : item de quadragesima

Presentis diei festi, donante Domino, sollemnia celebrantes, fratres  
 dilectissimi, exultemus et laetemur in Domino nostro Iesu Christo, qui  
 primitus de caelis adveniens pro nobis hominem suscepit adque DEUS  
 ille AMBULANS SUPER TERRAM multa operatus est in partibus Iudaeae  
 5 circa benignos et bonos, circa perfidos et ingratos, ut consolaretur  
 humiles, ut laetificaret tristes, ut superbos leniret. mortuos suscitavit,  
 infirmos curavit, demonas effugavit, caecos inluminavit, clodos currere  
 fecit, multa mirabilia gessit ; qui PRO VOBIS PAUPER FACTUS EST CUM

34. habiero *cod* (*sed l. 35 abiero*)  
 scala

50. sancta *ut vid cod* : *fortasse legendum*

V. *Title.* quadragesimo *ut vid cod*

6. supervos *cod*

7. glodos *ut vid cod*

8. vobis *scripsi*, *collato* vos ditaremini : nobis *cod*, *cf. I. 18 supra*

33. Jn. xvi 7

39. Jn. xv 5

Mt. xi 29

43. Gen. xxviii 12

47. 1 Pet. ii 4, 6

V. 3. Bar. iii 36, 38

8. 2 Cor. viii 9

DIVES ESSET, UT ILLIUS INOPIA VOS DITAREMINI; cuius inopia ditat, sanat fimbria, fames satiat, mors vivificat, resuscitat sepultura. ad 10 crucem etiam et passionem pro nobis veniens, [fol. 51 a] multas contumelias iniuriasque perpessus, occisus est et sepultus, tertio die a mortuis resurrexit, quadraginta diebus cum discipulis conmoratus hodie ascendit in caelis, ut hominem ipsum quem induit, quem dilexit, quem a morte protexit, ad patrem victor inponeret. 15

De huius ascensu Domini iam antea propheta David in psalmo *pre-* canuerat dicens ASCENDIT DEUS IN STREPITU, DOMINUS IN VOCE TUBAE; et iterum ASCENDIT IN ALTUM, CAPTIVAM DUXIT CAPTIVITATEM, DEDIT DONA IN HOMINIBUS. unde et apostolus addebat QUI DESCENDIT IPSE EST ET QUI ASCENDIT SUPER OMNES CAELOS UT ADIMPLERET 20 OMNIA. DESCENDIT UT IACENTES ERIGERET, ASCENDIT UT DONA CREDITIBUS exhiberet. sic enim promiserat in sancto aevangelio dicens EXPEDIT VOBIS UT EGO EAM: SI EGO NON ABIERO, ADVOCATUS NON VENIET AD VOS; SI AUTEM ABIERO, MITTAM ILLUM AD VOS. et iterum ait ROGABO PATREM ET ALIUM ADVOCATUM DABIT VOBIS. ergo ascendit Dominus 25 SUPER OMNES CAELOS UT ADINPLERET OMNIA [fol. 51 b] *recu-* peravit auctoritas *promissio* continebat.

Ascendit ergo hodie in caelis. clamantes *angelos* ad populum et dicentes *audimus VIRI GALILEI QUID STATIS ASPICIENTES IN CAELUM?* HIC IESUS QUI RECEPTUS EST A VOBIS, SIC VENIET ITERUM QUEMAD- 30 MODUM VIDISTIS EUM EUNTEM IN CAELUM, id est in eodem corpore in quo ascendit, ut Deus in templo, ut sacerdos in agno, ut pastor in ove. unde in eius ascensu adtonitae et obstupescentes caelestes virtutes clamant ad invicem dicentes QUIS EST ISTE REX GLORIAE? videbant enim ante eum in obsequio precurrentes angelicas potestates, daturque 35 ad interrogantes caeleste responsum DOMINUS FORTIS ET POTENS, DOMINUS POTENS IN PROELIO. ipse est DOMINUS POTENS IN PROELIO qui FORTEM ARMATUM diabolum conligavit et VASA EIUS DIRIPUIT, hoc est, homines quos ille antea in sua potestate tenebat ab eo diripuit adque suae dicioni subiecit. ideo et dictum est CAPTIVAM DUXIT [fol. 52 a] 40 CAPTIVITATEM, quia omnes captivos *ipse* superato tyranno *acquisivit*; et quia ipso nunc corpore in quo *ascendit*, in *ipso* etiam veniet in fine mundi iudicare vivos et mortuos, a *propheta* dictum est VIDEBUNT IN QUEM CONPUNXERUNT.

Ecce iam caput nostrum Dominus noster nos precessit in caelum, 45

16. *precanuerat scripsi*: *recanuerat ut vid cod* 19. *addebat scripsi*: *adiebat ut vid cod, cf. VI. 36 infra: malis forte aiebat* 29. *quid: qui ut vid cod*

17. Ps. xlvi (xlvii) 5 18. Ps. lxxvii (lxxviii) 18 19. Eph. iv 10 22. Jn. xvi 7 26. Jn. xiv 16 29. Act. i 11 34. Cf. Is. vi 3 36. Ps. xxiii (xxiv) 8 38. Lk. xi 21, 22 43. Zech. xii 10 (Jn. xix 37)

secuturis membris, id est aeclesiae suae, regna caelestia paraturus. unde ex persona ipsorum membrorum, id est totius aeclesiae, cantatur in psalmo et dicitur MIHI AUTEM ADIUNGI DEO BONUM EST, PONERE IN DOMINO SPEM MEAM, adiungi Domino, sociari capiti meo, Domino meo  
 50 qui me DILEXIT ET TRADIDIT SEMET IPSUM PRO me, ut me ad caelestes perduceret sedes. CARITAS ergo PERFECTA Dominus et Deus noster Christus ascendit in caelis, caritatis pluviam suis fidelibus largiturus, sanctum scilicet Spiritum missurus, qui flammeo imbre descendens pectoribus sanctis munera virtutum infundat, carismatum dona  
 55 distribuatur.

Et consideremus quia quadraginta diebus [*fol. 52 b*] completis Dominus ascendit in caelis. quadraginta diebus ieiunium celebravit, quadraginta diebus cum *epulantibus* discipulis fuit, frequenter EIS APPARENS ET DOCENS DE REGNO DEI. quadraginta isti dies vel quattuor decadas  
 60 indicare videntur, id est quattuor aevangeliorum sacra mysteria, quibus credentium populus de terrenis ad caelestia perveniret et sequerentur caput suum Christum.

Adtende adhuc et illud. datur primo statim post resurrectionem discipulis Spiritus sanctus, et nunc mittendus e caelis. primo quidem  
 65 Dominus ait cum INSPIRARET in facie discipulis, ACCIPITE inquit SPIRITUM SANCTUM, SI CUI REMISERITIS PECCATA REMITTENTUR ILLI, SI CUIUS TENUERITIS TENEBUNTUR: et in pentecoste iterum mittit Spiritum sanctum: duo data diversis vicibus, sed UNUS SPIRITUS. haec duo data, ut arbitror, ideo Dominus ordinavit, ut permaneant in nobis illa  
 70 mandata, dilectio Dei et proximi; quod implere in nobis poterit Spiritus sanctus, [*fol. 53 a*] quem Christus Dominus ad haec in nobis firmanda de caelestibus destinavit, ut sic spiritaliter proficiamus et per infinitam eius bonitatem adsequi mereamur vitam aeternam, semper Deo patri per filium eius gratias agentes, CUI EST GLORIA IN SAECULA.  
 75 AMEN.

## VI. A THIRD SERMON FOR ASCENSION DAY

(without title)

Adhuc de quadagesima dicendum. ascendens Dominus in caelum primitias obtulit corpus suum pro humano genere, non omne genus humanum sed se unum pro omnibus; sicuti de campo toto non omnis

51. dñs *cod\**: dño *cod*<sup>2</sup>      58. *epulantibus scripsi* (cf. Act. i 4 συναλιζόμενος)  
 quod *indicis scripturae codicis bene videtur respondere*      59. *isti scripsi*: istos *cod*  
 65. *faciae cod*

46. Cf. Jn. xiv 2, 3      48. Ps. lxxii (lxxiii) 28      50. Eph. v 25      51. I Jn.  
 v 18      58. Act. i 3, 4      65. Jn. xx 22, 23      68. Eph. iv 4

messis sed pars aliqua inde primo offertur, ita et Christus primitias  
corporis sui pro omni humano obtulit genere. 5

Condisce et in isto die gaudium caelestium potestatum, quando  
Dominus noster Iesus Christus [*fol.* 53 *b*] secundum carnem natus est,  
cum reconciliatorem viderent; nec enim *alias* descenderent cum summa  
gratulatione in terra. clamabant GLORIA IN EXCELSIS DEO ET IN TERRA  
PAX HOMINIBUS BONÆ VOLUNTATIS; ut discas quod ideo GLORIA DEO 10  
quia terra ea quae bona sunt recepit laetatur, declarant et causam  
dicentes IN TERRA PAX HOMINIBUS BONAE VOLUNTATIS, hominibus qui  
debellati inimici fuerunt, qui alienati erant, qui contumaces iudicati  
sunt. vides quemadmodum in alienis gratulantur—inno in suis, nam  
nostra bona suas utilitates arbitrantur. ideo et DESCENDEBANT ET 15  
ASCENDEBANT ad Dominum festino ardore amoris, novum et incredibile  
spectaculum videre cupientes: ideo et quando nascebatur Dominus  
noster et quando resurgebat exultabant angeli.

Et hodie etiam [*fol.* 54 *a*] quando ascendit ad caelum ECCE VIRI DUO  
IN ALBA VESTE (ut ex ipsis indumentis gratulatio monstraretur) 20  
dixerunt ad discipulos VIRI GALILEI, ISTE IESUS QUI ASCENDIT A VOBIS  
IN CAELUM SIC VENIET QUEMADMODUM VIDISTIS EUM EUNTEM IN  
CAELUM. hic auditum mihi cum omni diligentia adconmodate. cur  
haec dicta sunt? numquid oculos discipuli non habebant? numquid  
non videbant quod gerebatur? numquid non dixit aevangelista quia 25  
VIDENTIBUS EIS ascendit ad caelum? cur igitur angeli eis dicebant  
quod factum est? quid eis monstrabant quod ascendit ad caelum?  
propter has scilicet duas causas: unam, quia dolebant Iesu discessione  
desolati, et quia dolebant audi quid ad eos loquitur; NEMO ME INTER-  
ROGAT VBI VADIS, SED QUIA ISTA DIXI TRISTITIA REPLEVIT COR VESTRUM. 30  
et si amicorum seu cognatorum separatione tristamur, quanto magis  
salvatorem, magistrum, Dominum, misericordem, mansuetum cum a se  
viderent [*fol.* 54 *b*] separari, non omnino cum dolore tristarentur? ideo  
stabant angeli et ascensionis tristitiam regressionis commemoratione con-  
solabantur et separationis dolorem adventus futuri pollicitatione seda- 35  
bant. nam addunt ISTE IESUS QUI ASCENDIT A VOBIS SIC VENIET.  
'doluistis' inquit 'quia ascendit, sed dolere desinite, nam iterum  
veniet. et ne hoc faciant quod Heliseus fecisse edocetur conscindens  
vestmentum cum magistrum suum vidisset elevatum ad caelum, non  
enim habuit presentem angelum qui ei Heliam promitteret advenire 40

VI. 6. diae *cod* 10. bone *cod* 10–12. ut discas . . . voluntatis: *bis scriptum in codice* 23, 26. quur *cod* 28. Iesu (ihū) *scripsi*: Iesum (ihm) *cod* dicesione *primis curis cod* 34. stabant *cod*, *cf. l. 41 inf.*: forte *legendum* adstabant 36. addunt: adiunt *cod*, *cf. V. 19 supra*; nisi *malis* aiunt 37. dolore *manu recenti*

VI. 9. Lk. ii 14 15. Jn. i 51 19. Act. i 10, 11 26. Act. i 9 29. Jn. xvi 5, 6 38. 4 Kings ii 12

—ne igitur isti hoc faciant, ideo angeli stabant animi eorum tristitiam solacio relevantes.

Et haec quidem una causa est praesentiae angelorum. est et alia causa non minoris rationis : nam addiderunt quia ascendit ad caelum. 45 et quia longum spatium de terra tendebatur ad caelum, et oculorum acies portatum corpus ad illam altitudinem minime poterat [*fol. 55 a*] pervidere, sed sicut avem cum altiora postulat deficit aspectus inspicere et noster oculus volatu vincitur celsiore, sic et illud corpus, quanto ferebatur ad summa, tanto oculis videntium aspectus inbecillitate ceta- 50 batur, deficiente natura altiora conspiciere, ideo stabant angeli iter caeleste monstrantes, ne quis arbitraretur quia tamquam in caelum ascendit sicut Helias, sed in caelum ascendit qui ELEVATUS EST A VOBIS AD CAELUM.

## VII. SERMON FOR WHITSUNDAY

### In pentecoste

Hodie donante Domino huius felicissimi diei solemnia celebramus. hic completur quinta festivitas ; et ut per ordinem festivitatum ipsarum insignia numeremus, est nativitatis dominicae prima sollemnitas, quando Verbum Dei carne vestitum PROCESSIT IN HUNC MUNDUM, et 5 Deus homo humano generi iunctus INTER HOMINES CONVERSATUS EST. secunda sollemnitas sanctae Epifaniae, quando, ut a patribus accepimus, [*fol. 55 b*] Dominus Christus a servo suo baptidiatur Iohanne *ut nobis omnibus per semet ipsum baptismo obtemperandum ostenderet et* 10 tur sollemnitas passionis et resurrectionis eiusdem Domini Salvatoris : hoc sanctum Pasca nominatur. quarta sollemnitas ascensionis eius in caelis, quando cum carne ipsa qua resurrexit aeternas et caelestes sedes intravit. quinta huius presentis diei, ut dixi, est pentecostes consecrata sollemnitas, in qua Dominus amplissimum suae promissionis 15 munus caelesti dignatione concessit.

Desiderium enim suum hodie fidelis turba suscepit. sic enim antea dixerat Dominus discentibus suis VOS AUTEM SEDETE IN CIVITATEM Hierusalem QUOADUSQUE INDUAMINI VIRTUTE AB ALTO. EXPECTANS EXPECTAVIT DOMINUM turba sanctorum, et respectu divinae clementiae

47. aspectus *scripsi* : aspectu *ut vid cod* 48. caelsiore *cod* 49. invecillitatem *cod* 52. sed *cod* : *legendum fortasse sic*

VII. 19. expectavit *cod*<sup>2</sup> : *expecuit cod*\*

52. Act. i 11

VII. 4. Jn. xvi 28

5. Bar. iii 38

17. Lk. xxiv 49

18. Ps. xxxix (xl) 1

diffusum mentibus Spiritum sanctum salubri animae *haustu* potavit. 20  
 [fol. 56 a] discipulis Dominus tutorem et idoneum advocatum hodie  
 dedit qui illos omni diligentia custodiret *a malo* et doceret ut CARITATEM  
 Dei per ipsum *dilatam* SUIS MENTIBUS conservarent et preceptorum  
 eius semper meminissent adque regni caelestis *aeternum* premium  
 sustinerent, et *ipse sicut* quidam precipuus animarum colonus agrum 25  
 pectoris eorum excoleret ne aliquid in eis incultum aut asperum  
 videretur, ne aut SPINIS saecularium vitiorum *horrescerent* aut PETROSA  
 stultitiae congerie desertarent aut qualibet neglegentiae solitudine labo-  
 rarent: ideo Dominus eis Spiritum sanctum, ut diximus, destinavit, qui  
 in eis et spinas exureret, et terram mentis eorum caelesti fecunditate 30  
 incenderet adque ditaret, et totum circa eos bene ornateque disponeret.

Ergo diffusa est in eis flamma Spiritus sancti, ut tam vitali et salubri  
 incendio salvarentur ceterosque salvarent. nam ut per ignis huius  
 terreni similitudinem consideremus [fol. 56 b] quantum prosit ignis iste  
 caelestis, dixit quidam non incongrue sed necessarie, quia saepius 35

steriles incendere profuit agros  
 adque levem stipulam crepitantibus urere flammis,  
 sive inde occultas vires et pabula terrae  
 pingua concipiunt, sive illis omne per ignem  
 excoquitur vitium adque *exudat* inutilis humor, 40  
 seu plures calor ille vias et ceca relaxat  
 spiramenta novas veniat qua sucus in herbas,  
 seu durat magis et venas adstringit hiantes.

Si hoc ad utilitatem multam operatur ignis iste terrenus adque cor-  
 poreus, multo magis ignis ille caelestis, id est Spiritus sanctus, adveniens 45  
 in apostolis totum vitium ab eis VETUSTI HOMINIS abolevit, novumque  
 in eis sensum fecundi germinis adimplevit, ita ut fructus uberrimos  
 felici partu producerent. FRUCTUS inquit apostolus SPIRITUS EST  
 CARITAS GAUDIUM PAX et cetera: isti sunt fructus quos producit Spiritus  
 sanctus ex terra fidei pectoris nostri, [fol. 57 a] istis fructibus semper 50  
 exuberat aeclesia Dei in sanctis apostolis, in beatis martyribus, in  
 omnibus fidelibus cristianis.

Ergo ista est, ut diximus, quinta sollemnitas, in qua datur vel mittitur  
 Spiritus sanctus, sicut scribturn est, SPIRITU SANCTO MISSE DE CAELIS,  
 IN QUO CONCUPISCUNT ANGELI PROSPICERE. et vide qualis quantusque 55

20. animae ut *vid cod*<sup>2</sup>: animam ut *vid cod*<sup>2</sup> austu *cod* 27. orrescerent *cod*  
 28. congeriae *cod* 33. salbarentur . . . salbarent *cod* 40. exudat: excidat  
*fortasse cod* inhutilis *cod* 43. hiantis *cod* 46. abholveit *cod*

22. Rom. v 5 27. Mt. xiii 5, 7 37. Verg. *Georgica* i 84 sqq. 46. Eph.  
 iv 22 &c. 48. Gal. v 22 54. I Pet. i 12



sit Spiritus sanctus, cuius splendoris magnitudine delectantur omnes caelestes virtutes, cuius intuitu angeli gloriantur.

- Iustus adventum iam tunc in quinquagesimo psalmo propter et quinquagesimum diem precabatur sanctus David propheta dicens REDDE  
 60 MIHI LAETITIAM SALUTARIS TUI ET SPIRITU PRINCIPALI CONFIRMA ME. quinquagenarius numerus indulgentiae tenet sacramentum. nam et quinquagesimus annus est qui iobeus dicitur apud Hebraeos, in quo et possessionum et servitutis et debiti fit remissio; et Dominus in aevangelio, cum parabolam remissionis doceret et indulgentiae, DEBITORES  
 65 [fol. 57 b] in QUINQUAGINTA et QUINGENTIS posuit; nam et Abraham, cum de indulgentia Sodomorum ad Dominum loqueretur, sciens huius numeri sacramentum, a quinquaginta interrogare exorsus est dicens DOMINE, SI FUERINT QUINQUAGINTA IN CIVITATE, NON SALVABIS PROPTER QUINQUAGINTA CIVITATEM?  
 70 Ergo iste dies beatus et ad indulgentiam designatus est, ad caeleste munus concessus, in quo mittitur Spiritus sanctus ut Trinitatis ordo noscatur: primo mittitur a patre filius, a filio nunc mittitur Spiritus sanctus, et TERTIA ORA venit ut vere sese tertium et tertiam gerentem personam et tertiam habentem substantiam demonstraret. exultemus  
 75 igitur et laetemur, fratres, in Domino Deo nostro, et ipsi solo ingenito per unigenitum gratias agamus adorantes in Spiritu sancto inluminatore et sanctificatore nostro per omnia saecula saeculorum. amen.

74. et tertiam habentem substantiam : *delet cod<sup>2</sup>*      75. solo : *sic cod*

A. SPAGNOLO.

C. H. TURNER.